# DE ACUTA FLAVA ATROPHIA HEPATIS.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT ET

DIE XXVIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLIV. HOR. X.

UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARTHURUS ÆMILIUS LOHSSE

SAXO-BORUSSUS

OPPONENTIBUS:

ERNESTO TRIEBEL, MED. ET CHIRURG. D.

OSCARO PRITTWITZ, MED. ET CHIRURG. CAND.

HALIS SAXONUM

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

CARISSIMO AMICO

**FERDINANDO HOFFMANN**

HASCE PAGELLAS

OFFERT

**Amicus.**

Iampridem eiusmodi icteri exempla in notitiam hominum doctorum venerunt, in quibus nullum admodum impedimentum reperiri posset, quod obstitisset quominus fel recte et ex ordine secerneretur, quae quidem exempla malis cerebri affectionibus accedentibus celeriter letalem exitum concitaverunt. Ac nonnullae quidem formae exstiterunt, in quibus nullam hepatis mutationem offendere liceret; quod ubi accidebat, simpliciter viri eruditi icterum ex eo repetere solebant, quod fellis secretio sublata esse videretur, neque ultra quidquam perscrutabantur neque curabant inquirere, quae vera huius mali natura esset. Iam vero aliae formae sub oculorum aspectum subiectae sunt, in quibus hepar minus volumine et consistentia mollius apparuit; has vero pro hepatis emollitione habere placuit, quam secundum colorem bifariam dispertiti sunt, ita ut simplices et nigrae inter se discernerentur. Iam in egregio libro, quem clarissimus Morgagni „de sedibus et causis morborum" conscripsit, observatio quaedam affertur, qua Valsalva animadvertit, hepar exiguum languidum et pallide flavo colore tinctum esse, vesicam vero felleam minutam copiam pallidi fellis continere; cerebri denique substantiam pallidam laxamque fuisse. In vita quidem

huius aegroti hominis icterus cum deliriis, convulsionibus, comate viguerant. Morbus iste vehementioribus animi commotionibus exortus erat, cumque ab initio amplius triduum interfluxisset, mortalem exitum habuit. In clarissimi Andral annalibus quibus inscribitur clinique médicale casus exponitur, quem Martini observavit, in quo hepar tertia parte minus atque admodum emollitum erat et colorem Rhei similem prae se ferebat. Eo quoque in exemplo homine vivo icterus, abdominis dolores, alvi profluvium, coma vigil animadversa sunt. Nervosa autem symptomata primo et vicesimo, mors vicesimo quinto die consecuta est. Similem prorsus casum Alois explanatum literis mandavit, duo Alison, unum istiusmodi doctissimus Schoenlein, quem in scholis clinicis in praeclaro illo nosocomio Berolinensi, cui nomen est charité, habitis communicatum Gueterbegk literarum monumentis consignavit, unum praeterea casum Scherer in septima annua relatione, quam de nosocomio Paulino Heilbronnensi habuit, duos Bright in eximia sua dissertatione cui inscribitur icterus, tres Henle, quatuor Griffin. Horaczek unum et viginti casus partim ex suis ipsius partim ex aliorum observationibus collectos brevi conspectu composuit.

Verum doctissimus denique Rokitansky idoneis argumentis usus aperte declaravit, quibusdam icteri casibus, quos et cerebri pravae affectiones comitarentur et cita mors sequeretur, propriam quandam et singularem parenchymatis hepatici mutationem tanquam causam subesse, cui nomen acutae flavae atrophiae imponi voluit. Ille vir princeps istam mutationem et anatomica ratione illustratam agnovit invenitque, et accuratius descripsit et gravissima eius symptomata diligentissime persecutus est. Scilicet antequam hic vir eam rem

planiorem fecit, viri docti istius modi casus ictero sublatae secretionis accensere solebant; tamen hoc loco notandum est haudquaquam omnia exempla icteri, ad quem mala cerebri symptomata accedant, in illa flava atrophia posita esse. Etenim clarissimus Oppolzer unum casum observavit, ubi flavum hepar saturatum normale volumen et usitatam consistentiam prae se ferebat, simul hepatis cellulae excepta flava coloratione non mutatae erant et tamen malae cerebri affectiones cum ictero, quales in flava atrophia usuvenire solent, animadversa sunt. Post illustrem Rokitansky Horaczek monographiam scripsit de biliosa dyscrasia cum acuta flava atrophia, tamen regionem acutae atrophiae nimis latis finibus circumscripsit, cum icterum e diversis causis concitatum in eo numero habendum censuit. Budd eum morbum tanquam hepatis emollitionem describit. Qui quidem ut gravissimam in acuta flava atrophia mutationem eam notari voluit, quod cellulae hepaticae evanescerent.

## AETIOLOGIA.

Acuta atrophia in eo maxime est posita, quod cellulae hepaticae aut universae aut aliqua tantum ex parte evanescunt, id quod breviore vel longiore temporis intervallo plerumque satis magna celeritate accidere potest. Haec celerrima cellularum hepaticarum destructio utrum causa mutatae sanguinis mixtionis, an vice versa haec inferior causa esse videatur qua hepatis cellulae diruantur, an denique utrumque malum simul ex eadem causa natum sit, propter paucitatem exemplorum, quae ad hoc usque tempus observata in nostram cognitionem venerunt, haud recte nobis diiudicare in promptu est. Iam flava ista acuta atrophia praecipue et in adolescen-

tia et in media aetate, quae perfecta dicitur, solet occurrere. Sexus autem secundum doctissimi Oppolzer observationes, quae sane non amplius quam octo exempla complectuntur, nullum discrimen exhibet. Videlicet et in maribus et in mulieribus quaterni casus observati sunt. Causa occasionalis quae fuisset, in nullo casu demonstrari potuit, in duobus modo exemplis flava atrophia homines ceteroquin incolumi valetudine fruentes corripuerat, bis in decursu febris puerperalis, semel in typho, semel in tuberculosi, semel in magno aliquo fibroide uteri, cum simul menstruatio per unius anni spatium intermisisset, semel choledocho obstructo occurrit.

Alii hoc malum cum dysenteria vel erysipelate vel sanguinis in venis coagulatione coniunctum animadverterunt. Mirum vero est flavam atrophiam plures homines qui similibus vitae conditionibus utantur, aut eodem tempore aut brevioribus longioribusve temporis intervallis interiectis exsistere. Cuius rei exempla praebent casus ii, quos Budd adumbravit, cum complures nautae in eodem navigio vecti brevi tempore alius post alium icterum cum pravis cerebri affectionibus coniunctum ostenderent, deinde quatuor casus quos Griffin in eadem familia observatos descripsit. Isne icterus, qui ex morsu serpentis concitatur, et febris flava americana cum flava atrophia cohaereat, nondum adhuc exploratum est. A quibusdam scriptoribus hae causae occasionales afferuntur: abusus emeticorum et purgantium et abortivorum, atque abusus mercurialium. (Ex hac extrema causa qui nati esse viderentur, casus nonnullos Neumann, Schoenlein allegaverunt); vehementiores animi affectus (Valsalva), mechanicae laesiones, humidus atque impurus aër, repentina temperaturae commutatio. At vero, quae paucitas est observationum, docti viri

has extremas causas suspicati potius esse quam certa ratione adducti videntur demonstravisse.

## ANATOMIA.

Volumen hepatis minutum est, interdum eo usque, ut dimidia tantummodo magnitudo, nonnullis temporibus quarta dumtaxat normalis amplitudinis pars remanserit. Omni quidem tempore crassitudinis diametrus ita diminuitur, ut forma magis placentae similis exoriatur, capsula inflexa rugosa apparet; iam color, propterea quod hepas felle perfusum atque infectum est, gutti gummi similis, vel ex fulvo rubescens, qualem fere ochron dicere solent, vel e viridi flavescens conspicitur; semel eum Oppolzer fuscum et supra eam fuscam superficiem quasi nodulos quosdam flavos animadvertit, varia magnitudine a pisi ad nucis avellanae volumen.

In nodulis cellulae hepaticae reperiebantur, quae in fusco parenchymate deerant. Porro hepar flaccum est et facile dirumpi potest; in eo nullae granulationes, sed aequabilis compages et structura conspicitur. Optime vero haec tota res explicatur et illustratur, si microscopii adiumento utaris. Cellulae hepatis modo aliqua ex parte modo omnino destructae sunt, ita ut microscopio adhibito nihil aliud nisi massa amorpha pigmenti biliosi et globuli adiposi conspiciantur. Hepar parum sanguinis continet, exceptis perpaucis casibus, ubi maiora sanguinis vasa multum sanguinis includunt. Vena porta plerumque sanguinem fluidum lutulentum fuscum continet. Semel dumtaxat Oppolzer eum crasso liquore fluentem ac propemodum nigrum reperit. Paries venae portae non magis flavam speciem prae se fert, quam cetera vasa. In

venis hepatis praeter flavam colorationem nulla mutatio deprehenditur, nec magis in vasis lymphaticis, quae raro dumtaxat flavum contentum exhibent. Plexus nervorum nullo modo mutati reperiuntur. Vasa biliosa, quatenus in hepate diffusa sunt, mucum continent turbidum vix e viridi flavescentem. Maiora fellis vasa mirifice parum pigmentata sunt atque vel parum fellis vel nullum admodum continent. Vesica fellea plus minus fellis complectitur modo crassi modo aquosi, viridis, ex subflavo cineracei vel aquilo-fusci. In colo substantiae faecales alias saturato flavo colore tinctae, alias argillae similes deprehenduntur. Nonnunquam intestinorum contenta e sanguinis mixtione liquidae picis similia evaserunt. Lien plerumque maior, marcidior, sanguinis locupletior est. Sanguis in corpore vulgo liquidus, obscurius coloratus, lutulente ex atro rubescens, aquilo colore fusco cerasorum instar tinctus est; aëri quando exponitur, haud magnam mutationem perpetitur; plerumque neque coagulatur neque fibrinam secernit, quale alias fieri assolet. Sin autem coagula adsunt, ea languida apparent, eodemque modo fibrinae secreta, quae ex pigmento bilioso flavum colorem duxerunt. Serum sanguinis saturatam flavam speciem prae se fert, et acido nitrico admixto viridescit. Cerebrum non admodum sanguine refertum, nonnunquam sanguinis inops invenitur. Etiam membranae cerebri modicam sanguinis copiam ostendunt. Cerebrum interdum serose infiltratum inde turgescit, gyri infra tensas membranas planiores evaserunt. Centrales cerebri partes, imprimis fornix, passim emollitae. In ventriculis modica flavi seri copia deprehenditur. Organa generatim pallida, sanguinis paupera, flava apparent, exceptis dentibus et cerebro. Fluida flava praeter salivam et plerumque etiam lac, quod nullum amarum gustatum exhibet. Minus constanter oc-

currunt hypostases in pulmone, pneumoniae lobares et lobulares, haemorrhagiae, effusiones in cava serosa, fusca ventriculi emollitio, sanguinis in venis coagulatio. Hepate ex obstructione viarum fellearum emollito parenchyma olivarum instar viride vel admodum flavum, flaccum, facile ad dirumpendum, nulla granulata specie est. In maioribus meatibus felleis fel sanguine intermixtum. Microscopio si utaris, amorphas massas pigmenti fellei, nullas vero cellulas hepaticas videre licet. Hepar sanguinis pauper eam ob rem et propter destructionem cellularum minus est, quamquam vasa biliosa felle superabundant.

## SYMPTOMATA.

Percussione adhibita facile videas licet magnitudinem hepatis diminutam, contra lienis auctam esse. Quodsi quis, quantum hepatis volumen sit, exquirere et recte determinare velit, diligenter eum illarum conditionum, quarum paulo ante fecimus mentionem, quaeque saepe variis erroribus oblatis observandi rationem admodum frustrantur, rationem habere oportet. Scilicet ita demum certo ea de re iudicari potest, si priorem hepatis magnitudinem cognoveris. Quod nisi fieri potest, tum denique, cum crebriores explorationes diversis temporibus institueris, hepar minutum esse tuo iure queas pronuntiare. In flava atrophia aegroti doloribus se in abdomine exardescentibus vexari conqueruntur. Interdum acerrimi isti dolores in regione hepatis initium ducunt tanti ut, quantumvis collocatio commutetur, nullo tamen pacto dissipentur. Verum hoc symptoma nequaquam tam constanter occurrere solet quam Rokitansky asseveravit, cum Oppolzer complures casus nullo prorsus dolore observandi occasionem

nactus sit. Iam isti dolores prementes, tendentes, pungentes exsistunt et pressione adhibita augescunt. Constanter autem flavam atrophiam superior atque acrior aliquis icteri gradus comitatur. De symptomatis iis, quae digerendorum ciborum functionem conturbatam esse produnt, appetitus defectio et vomitio massae subatrae similiter, ut in flava febri, sic hoc quoque loco apparent. Evenit nonnunquam ut substantia vomitu eiecta viridem colorem prae se ferat. Faeces partim fluidae et ex cineraceo fuscae; partim etiam albicantes et liquidae picis similes conspiciuntur, rarius accidit ut alvus obstructa sit. Meteorismus posteriore tempore exoritur. Inprimis vero nervorum apparatus huius mali impetu vehementer affligitur et laborat. Tanta tot malorum potentia urgente aegroti saepenumero caput sibi dolere vel prave occupatum esse, insomnia se et gravi anxietate laborare queruntur, magnopere concitatos se et inquiete agitatos praestant, multos gemitus imis ex praecordis fundunt, graviter depressi sunt tanquam aerumnarum onere, et interdum frequenti oscitatione utuntur. Iam maxima vel anima vel corporis depressio, infirmitas et quasi fragilitas istum morbum comitatur. Quin etiam deliria, somnolentia, coma, artuum tremor, convulsiones, stridor dentium, spasmi universales, paralyses, evacuationes denique quae sua sponte fiant in observationem doctorum virorum inciderunt. Pupilla modo coangustata modo admodum dilatata est; quod si usuvenit, raro contra lucis vim et potentiam reagit.

Iam ut ea signa perstringamus, quae apparatum sanguinis circulationi servientem correptum esse declarent, pulsus plerumque usque adeo properatus est, ut centenos ad centenos quadragenos singulis minutis ictus efficiat; raro fit,

ut retardetur et sexagies fere una minuta sentiatur; postea parvus, irregularis et impar evadit et evanescit; ardor in cute vehementissimus percipitur. Ex sanguinis dissolutione petechia et sanguinis fluxus e diversis organis consequuntur. Respiratio accelerata aut pertarda profunda et claro sono auditur. Semel aliquando evenit ut septimo mense maturior partus in muliere incideret. Urina e rubido flavescens, clara liquidaque, nonnunquam fusca est et pigmentum biliosum continet.

## DECURSUS MORBI.

Haec prava affectio plerumque ex eo initio capit, ut homo se male habeat seque valde defessum ac dissolutum sentiat, ut dolores huc illuc permanentes, summa animi aegritudo et morositas, dolor capitis, somnus inquietus ac perturbatus oriantur et ciborum appetitus minuatur. Postea vero quam unus vel plures dies interfluxerunt, icterus sequitur, plerumque ita ut homo simul febri iactetur. Iam dolores in abdomine et dextero hypochondrio commoventur, qui interdum acerrime vigent eaque parte pressa aliquantum adaugentur. Eodem accedit, ut id temporis hepatis volumen diminuatur, lienis increscat. Deinde vomitus, saepe singultus incidit. Capitis quidem dolor tamdiu, dum omnino aegrotus aliquam sui conscientiam retinet, pristino et acri vigore perseverat. Hinc sequuntur insomnia, inquietus somnus dum aegrotus mentis non satis compos inanes vesanasque voces fundit, somnolentia, deliria, convulsiones in artubus emicantes, dentium denique stridor praesertim cum aegrotus somnum cepit.

Quodsi tempore progrediente malum in meliorem partem vertitur, icteri vehementia decrescit, tumor lienis in brevius

spatium contrahitur, simul et dolores minuuntur et febris pristinum vigorem remittit. Verum plerumque accidit ut res in deteriorem partem cedat malumque in infaustum exitum properare incipiat. Tum pravae cerebri affectiones augescunt, ut aegrotus magna animi inquiete concitatus agitetur, perpetuis deliriis conturbetur, conscientia exstinguatur, coma ingruat, tanta scilicet potestate, ut ne frigida quidem aqua aliquoties super infusa aegrotus ex sopore exsuscitetur; accedunt universi corporis acres convulsiones et paralyses; tum sua sponte et alvus ducitur et urina mittitur; in cute interdum vel petechia vel sanguinis fluxus apparent, quibus sanguis fluidus lutulento rubore cerasorum fere simili insignis egeritur. Spiritus deinde ex caelo magis magisque graviter ac difficile ducitur, properatis paulatim et imparibus respirationibus; lingua arida pariter ac dentes fuscam obductionem prae se fert; orificium narium fuliginosum, abdomen meteoriticum fit, pulsus minuitur et irregularem se praestat, extremitates algescunt, trachealis postremo fragor mortis praenuntius exsistit.

Iam vero hoc loco, quo tota istius mali indoles ex diligentissimi perscrutatoris auctoritate facilius et clarius perspiciatur, operae pretium mihi videtur cerebri affectiones utpote maxime propria et insignia flavae atrophiae symptomata ex egregio libro sumta cum lectoribus communicare, quem Horaczek conscripsit quique frequentissimis et accuratis observationibus nititur.

Creberrimum quidem eorum symptomatum et praeter cetera maxime conspicuum conditio comatosa praebere solet, quae in exemplis longe plurimis prima apparet atque aut ex inopinato et statim ab initio magno impetu et vigore exardescit, aut etiam paulatim progrediens sese evolvit; quo tempore aegroti de ingenti aliquo defatigationis sensu, plumbea

quasi membrorum gravitate ac pondere, tanta corporis segnitie, quam superare nullo pacto queant, de capitis onere graviter premente, de vomituritione de integro emergente, quem verus vomitus sequatur, denique de potenti invictaque somni capiendi cupiditate queruntur. Qui cum ex statu somnolento atque hebeti concussi violenter exsuscitantur, sensim magis magisque difficile plenam sui conscientiam recuperant, oculos quidem, quorum pupillae maxime dilatatae nihil iam lucis irritatione afficiuntur, raro dumtaxat totos aperiunt, tremula ac balbutiente lingua tarda responsa edunt, quae quo modo inter se cohaereant minime cognoscere possis, voces non distinctas secum murmurando fundunt, et tacitis mussitantibusque deliriis agitati paulo post denuo in profundam somnolentiam incidunt, quae istiusmodi in casibus raro admodum brevi ad punctum temporis excitatione interpellatur. Saepe praeterea mobilitatis turbationes ingruunt, quas haud dtuturna mora interposita rursum status ille comatosus et paralyseos similis excipit; quo facto cuncta animi conscientia dissipata ac deficiente, omnibus, quaecunque ex humana voluntate proficiscuntur, actionibus motibusque funditus oppressis, faecibus et urina sua sponte effluentibus, viribus corporis omnino vehementer collabentibus, temperatura porro cutis viscido sudore diffluentis saepe aucta, pulsu parvo, irregulari, leviter vibrante, perquam accelerato, qui nulla difficultate premendo ex suo loco demoveri potest, aegrotus homo gravibus istis miseriis mortali exitu liberatur. —

Aliud hoc loco affectionis cephalicae symptoma in quaestionem venit minus constans, quod, si exoritur, statum comatosum plerumque antecedere solet, deliria dico, quae saepe de inopinato existunt, quibus obortis aegroti raro prae-

cedente diuturna insomnia et excitatione crebro repente faciei lineamentis violenter distortis et palpebris prope ex dimidia parte clausis nullo intermisso tempore indiscrete ac promiscue loquuntur, fabulantur, alte vociferantes fremunt et exclamant seque perpetuo huc illuc iactant, simul de acerrimis ex hepate doloribus et photophobia conqueruntur ac saepe summa vi nitentes et contendentes fugam petunt; verumtamen, quamvis ingenti vi in delirio inflammatorio robur suum manifestare videantur, quominus fugiant, facile, nullo negotio nec molestia impediri queunt. Atqui cum istis portentosis ingentibusque motibus excitatio vasorum raro eodem gradu vel modo procedere solet: universalis turgescentia non parem vel respondentem illis vehementiae et amplitudinis gradum ostendit; cutis, etsi calidior, plerisque tamen casibus mollis, languida, humida; caput modico calore, oculi aut parum modo, aut omnino non rubefacti sunt; rara carotidum pulsatio, pulsus quamquam frequentior, infirmus tamen et inaequalis. Haec deliria posteaquam ad tempus perstiterunt, brevibus temporis intervallis interfluentibus, quibus homo inquieto et interpellato somno fruitur, aliquoties repetuntur; atque interdum convulsionibus associatis, at etiam iis deficientibus aegrotus in statum comatosum incidit, adeo permanentem, dum ille morte adventante conficiatur. — Denique spasmi symptoma efficiunt minus constans. Frequentibus in exemplis tota spastica affectio nihil aliud gignit nisi musculorum faciei convulsiones; alias vero musculi qui manducandis cibis sunt accommodati, tum oculorum, colli et cervicis, pectoris et abdominis musculi, extremitates, et infernae quidem rarius quam superiores, acerrimis spasmis tonicis et clonicis corripiuntur, qui incertis et brevibus temporis spatiis recurrunt, donec universi corporis organismus aliquando confectus et ex-

haustus in illum, quem paulo ante nominavimus, statum comatosum delabatur.

Si igitur iam quaerimus, quibus causis in hoc morbo symptomata cerebralia concitentur, quamquam ipsi eiusmodi interpretationem, quae huius aetatis vel scientiae vel observationibus perdiligenter institutis satisfaciat, in medium proferre non possumus, tamen nobis non licet veterum coniectura contentis esse; qui fellis elementis in sanguine circulantibus deleteriam in cerebrum vim tribui voluerunt; quod si ita se haberet, istas cerebri affectiones ne in uno quidem solo ictero scilicet deesse oporteret; hoc vero res et usus luce clarius redarguit. Quapropter nobis doctissimi Henle potius sententia proxime ad veritatis similitudinem accedere videtur, qui ea symptomata e vasis nimium confertis et impletis repetenda esse statuit; cui rei cum conditiones, ex quibus ea symptomata nascuntur, tum eorum natura et necroscopia praeclare consentiunt et suffragantur, cum semper serosae effusiones, emollitiones et hydrocephalicae infiltrationes occurrant, usus docuit validis et efficacibus, in tempore adhibitis in tractum intestinorum derivationibus pravas cerebri affectiones posse praecaveri. Sin autem suspiceris symptomata cerebralia non tam ex hepatis affectionibus originem trahere quam cum iis eodem tantum tempore coincidere, utraque ex eadem et communi causa, nobis sane adhuc prorsus incognita, repeti oportet, forsitan ex graviore aliquo animi affectu et vehementi nervorum depressione inde profecta.

## EXITUS.

Plerumque evenit, ut hoc malum morte finiatur. Quae quidem aut cerebri paralysi aut pulmonum oedemate affertur.

Num vero omnino res ita prospere procedat, ut homo aegrotus in integram valetudinem restituatur, vehementer dubium est: clarissimus quidem Oppolzer nunquam homines ea flava atrophia, quam dilucide cognoscere liceret, laborantes convalescere vidit. At et Griffin duo exempla commemorat qui satis feliciter exierint, et Budd eiusmodi casus nonnullos protulit. Quodsi nimirum omnes cellulae evanuerunt, fieri omnino nequit ut aegrotus convalescat; sed parte cellularum diruta sanatio forsitan ita evenire possit, ut relictarum cellularum beneficio novae gignantur, aut ut chronica unius partis hepatis atrophia cum vicaria ceterarum partium amplificatione remaneat. Verum tamen nondum adhuc exempla idonea quisquam demonstravit quibus ita fieri posse probaretur. Temporis spatium, per quod flava atrophia perseverat, vulgo breve est. Quippe mors iam cum pauci dies interfluxerunt consequi potest, plerumque hebdomade secunda vel tertia incidere solet; semel tantum factum est, ut quinto demum et vicesimo die aegrotus decederet.

Item brevi tempore, si convalescere coepit, homo in prosperam valetudinem restitui potest: id quod ea exempla probant, quorum Griffin mentionem fecit.

## DIAGNOSIS.

Dignoscendi huius mali ratio haud magnam difficultatem praebet. Etenim si acres et vehementes dolores in dextero hypochondrio cum ictero exardescunt, celeriter volumen hepatis diminutum demonstrari potest, eodemque si acria cerebri affecti symptomata accedunt, certa cum ratione et maxime probabiliter quispiam acutam flavam atrophiam suppetere concluserit.

## PROGNOSIS.

Ubi demonstratur magnam hepatis partem evanuisse, prognosis valde prava et infausta constituitur. Quodsi coma, convulsiones, spontaneae evacuationes, symptomata quae sanguinem dissolutum esse declarant, in observationem inciderunt, vel complicatio in organis ad vitam sustentandam maxime gravibus et necessariis exoritur, veluti pneumonia, prognosin in mortalem exitum constitui oportet. Sin autem cerebri affectiones mitigantur, hepar non amplius deminui pergit, tumor lienis et dolores in regione hepatis vigentes decrescunt, non sine aliqua probabilitate spem concipere attinet fore ut res feliciter eveniat.

## CURA.

Griffin e fortibus quibusdam purgantibus, praecipue calomela et ialappe, et ex vesicatoriis in cervice applicatis prosperum successum vidit, cum Oppolzer, etsi simili cura utebatur, nihil tale experiretur. Dolorum minuendorum gratia in robustis validisque hominibus hirudines, in aliis cataplasmata et narcotica applicantur. Ut vero vomitus cohibeatur, tentare licet quid pulvis aërophorus, mixtura aërophora, pilulae glaciei, recens aqua Seltersana proficiant. Adversum cerebri symptomata frigida cataplasmata, frigidae infusiones, praesertim in comate, derivationes in intestina clysmatis aceti vel purgantibus atque in cutem vesicatoriis vel sinapismis implicatis usurpantur. Ad febris ardorem compescendam vul-

garibus illis et notissimis remediis, contra collapsum vino et excitantibus uti in promptu est.

## CASUS.

Iam ut haec, quae adhuc de flavae atrophiae causis, progressu, fine exsecutus sum, exempli perspicuitate illustrentur, singularem hoc loco et eximium casum enarrare consentaneum videtur, quem mihi ipsi in clarissimo nosocomio Viennensi accurate inspiciendi peroptato copia facta est, et in quo duo maxime insignia fuerunt, primum quod hepar praeter consuetudinem sero comminutum apparuit, tum quod aegrota diutius quam fieri assolet vitam sustentavit.

Francisca Schimanek, duodeviginti annos nata, innupta, ante diem III. Kalendas Iunias huius anni in generali nosocomio Viennensi recepta est. Quae ex primis inde vitae annis, quibus febri intermittente laboraverat, se perpetuo incolumi valetudine usam esse asseveravit. Menstrua autem eius decimo septimo demum aetatis anno inciderant ex eoque tempore binos dies semper recte et normali ratione fluxerant. Quatuor abhinc mensibus intermissa sunt, cuius rei nullam causam eruere licebat, neque ex eo tempore redierunt. Nec tamen aegrota conditionem suam conturbatam sentiebat neque ulla de re unquam conquesta est. Quindecim fere diebus ante quam in nosocomium reciperetur, aegrota repente in vomitum et alvi profluvium incidit seque admodum defessam et defatigatam sensit; eodem tempore ciborum appetitus decreverat. Ista symptomata per septem fere dies permanebant, quibus praeterlapsis corporis partes paulatim flavescere animadvertit, primum pectus, deinde abdomen et faciem,

postremo coniunctivam. Huc postea vehementior lassitudo et dolor capitis accesserunt. Nihilo minus ex pristina consuetudine laborare pergebat; quin etiam, ut quidem puella cum ea cohabitans affirmavit, proxima dominica etiam ante receptionem (ea fuit a. d. V. Kal. Iun.) ad saltationem, cui voluptati scilicet summo studio erat dedita, comparuisse dicitur. Causam quidem eiusmodi, ex qua ista mala conditio originem traxisset, aegrota nullam prorsus proferre potuit. Conclave, in quo incoluerat, siccum fuisse, personae, quibus aut vicina habitabat aut familiariter utebatur, prospera valetudine fructi esse dicebantur. Cibis vero et potionibus propemodum nullis aliis nisi pane cibario et aqua vitam sustentavit. Propter nimiam corporis defatigationem viribus prope confectis aegrota in generali nosocomio auxilium medicum implorare coacta in eoque die tricesimo mensis Maji recepta est.

## STATUS PRAESENS.

Aegrota parva ac brevi corporis statura et satis firma robustaque ossium compage utitur; tela cellularis subcutanea adiposa apparet. Crines capitis fusci, coniunctiva lutulente flavo colore tincta, cutis usquequaque in pectore et abdomine item flavum colorem duxit. In extremitatibus color parum dumtaxat a normali specie discrepat; similiter in collo. Pulsatio vasorum modica. Thorax bene structus est, elevatio regulari modo consequitur.

P e r c u s s i o n e in linea axillari a dextero latere sonus suppressus a sexta inde costa usque ad arcum costalem, deinceps clarus, plenus, tympaniticus. Secundum lineam mamillarem suppressio soni a quarta costa usque ad arcum

costalem pertinet. In sternali autem linea a quarta costali cartilagine usque ad locum tribus digitis transversis infra processum xiphoideum situm ista soni suppressio extenta est. A sinistro latere in linea parasternali sub clavicula brevior quam a dextero sonitus; suppressio a secunda costa usque ad locum duobus transversis digitis sursum ab arcu costali distantem, inde ad ipsum arcum costalem sonus tympaniticus percipitur. In linea mamillari sonus suppressus a tertia costa usque ad duo transversos digitos infra arcum costalem. Deinde axillaris linea inter costas septimam et octavam sonum suppressum edit. — Cordis impulsus neque visu adspici potest et leviter modo tangenti sentitur inter quartam et quintam costam in linea parasternali. Primus sonus paulum obtusus et suppressus, aortae soni normales, secundus arteriae pulmonalis sonus paululum quasi accentuatus auditur.

Auscultatio ab utroque latere et dextero et sinistro respirationem asperam et vesicularem ostendit.

Percussio dorsi usque ad nonam costam clara et plena; eodem loco respiratio nihil praebet quod a norma discedere videatur. Abdomen leviter tumidum, nusquam sensibile, percussionem minime abnormem suppeditat. In sinistro hypochondrio, si aegrota profundius spiritum e caelo ducit, tumorem satis resistentem (lienem) tangendo sentire in promptu est. Urina e fusco flavescens et spumosa. Quae cum secunda vespera exploraretur, multum bilifaeini et urofaeini, eodemque tempore phosphata et chloridea diminuta parum offerebat. Faeces cineraceae neque biliose coloratae. Aegrota de nullis abnormibus in sentiendo commotionibus queritur, omnia naturali colore praedita adspicit neque amplius capitis dolore cruciatur neque cutis pruritu laborat; sitis modo in-

crevit, panis et carnis appetitus dissipatus est; lingua albida obductione, nec temperatura cutis aucta nec pulsus properatus.

## DIAGNOSIS.

Illa symptomata, quae anamnesis et status praesens suppeditaverunt, perpauca dumtaxat momenta offerunt quibus uti liceat, ut certa ratione acutam flavam hepatis atrophiam adesse constituamus, cum praeter vomitum, alvi profluvium, lassitudinem, quae etiam in catarrhalibus viarum biliferarum affectionibus occurrere queunt, lienis tantum amplificatio documentum satis certum praebeat; cetera vero omnia symptomata, hepatis volumen minutum, algoris sensus quo perfusi aegroti leviter cohorrescunt, sensibilitas in epigastrio et hypochondrio, acris febris, capitis dolor desint; verumtamen dolor in epigastrio, qui iam quatriduo post accessit, vomitus, meteorismus, animi aegritudo, tarditas et segnities loquendi, magnitudine hepatis etiamtum normali effecerunt ut probabiliter diagnosis in flavam atrophiam constitui posset. In quo hi morbi excludi poterant:

Rubra atrophia, cum globosa forma et elastica consistentia hepatis deessent; nec morbus praecesserat, cuius pro exitu haberi potuisset. Porro persona etiam iuvenis et valida erat nec adipositate laborabat, denique eius morbus temporis brevitate a rubra atrophia, quippe plerumque chronica, differebat.

Tuberculosis et carcinoma eo exclusa sunt, quod illa vulgo secundaria neque ictero comitante exsistit, hoc cum aucto volumine, inaequali superficie, dolore, ascite coniunctum est, utrumque vero macescente homine progredi-

tur et pravas aliorum organorum affectiones iam praecessisse oportet.

Lardosa infiltratio, utpote affectio chronica cum voluminis auctu coniuncta, ideo iam excludenda est, quod in ea nunquam acerrimus icterus, sed magis luridus faciei color et ascites adesse solet.

In calculis felleis coloratio icterica periodice cum nausea et vomitu exsistit. In impetibus volumen auctum apparet hepatis, nigri circum oculos circuli, anxia species; remittente malo haec omnia symptomata item remittunt; tum isti calculi plerumque in hominibus longius iam aetate provectis oriuntur.

Catarrhus ductuum biliosorum solorum perraro occurrit tumque vix dignosci potest; plerumque cum ventriculi et intestinorum catarrhis viget.

Meningitis cum ictero. Hoc interest, quod in meningitide pressio cerebri vel singulorum nervorum demonstrari potest, cum ne convulsionibus quidem et intensivo capitis dolore ea pressio certo probetur. Propria quidem eius strabismus et contractura musculorum cervicis forent, quae symptomata in nostra aegrota desunt.

## AETIOLOGIA.

Causae, quod ex anamnesi vidimus, nullae certae offeruntur. Forsitan misera aegrotae conditio (pane et aqua contentae) ad morbum gignendum valuerint.

## PROGNOSIS.

Diagnosi probabili in acutam flavam atrophiam constituta infausta videbatur.

## THERAPIA.

Cum causa morbi ignoraretur, curatio in eam tendere non poterat, sed ad derivandum, refrigerandum, dolores sedandos ac sublevandos aptata est.

Rp. Succi citri.
Syr. rubi idaei $\overline{aa}$ unc. ß.
Aq. fontan. unc. jV.
S. ad potum.

Pridie Kal. Iun., vesperi clysma, quippe alvo interdiu non ducta.

Die II. m. Iun.: Aegrota, nullo appetitu, nihil vult sumere; acer in capite ardor, aucta lassitudo.

D. III. m. Iun. Ad sensum ardoris et depressionis accedit pressus in epigastrio. Therapia: parcus victus, potio supra memorata.

D. IV. m. I. Noctu alvi profluvium inciderat. Aegrota somnolentior quam antea; nausea et capitis dolor.

Rp. bicarb. Sodae ℈ jj.
acid. tart.
sacch. alb. $\overline{aa}$ ℥ ß.
D. S. pulvis aërophorus.

Media nocte aegrota vehementer exclamans e somno expergiscitur, in lecto huc illuc volvitur, plagas quoquoversus iactat, de doloribus in abdomine queritur. Hora fere post in profundum somnum recidit. Vesperi nihil iam respondet, tacto abdomine ululat et vicina ferit; rigidi oculi, pupilla con-

tra lucis vim parum reagit et dilatata est. Hepar nondum deminutum. Urinam cathetere eximi oportuit. Pulsus 80.

Nonis Iuniis. Nocte stridor dentium, respiratio accelerata, stertore intermixta, scrobiculus cordis in anticam partem fornicatus, pulsatio vasorum colli admodum clara, nullus tanquam turbinis conversi fremitus nec musculi cervicis contracti, at trismus exstitit. Pressa altera mamilla aegrota acri inquiete turbatur et brachium eiusdem lateris commovet. Interdum suspiria sequuntur. Uterus nihil abnorme offert. Ventriculus valde extensus, quo factum est, ut diaphragma longe sursum urgeretur. Auscultando nihil aliud nisi respirationem asperam et vesiculariam percipimus; cordis actio properata, pulsus 90 ictuum difficile comprimi potest, respirationes inaequales, 24 per minutam. — Abdomen meteoristice elatum ac tumidum; supra symphysin fluctuantem vesicam urinariam possis tactu sentire. In dextero hypochondrio hepar ut tumorem durum acri margine praeditum sentias. Lien ab octava ad undecimam costam, in anticam partem ad lineam mamillarem pertinet. Praescripta est venaesectio octo unciarum, tum haec infusio, si trismus remitteret:

Rp. calomel. gr. Xjj.
Pulv. rad. Ialap. ʒ j
m. f. pulv. divid. in part. aequ. VI.
S. quaque hora pulvis unus, donec alvus ducatur.

Cum vena secaretur, aegrota satis quiete se gerebat. Secta vena respiratio ad 32, pulsus ad 130 ictus in minuta auctus erat. Inter infundendum aegrota crebro penitus ingemuit claudendo alternis et aperiendo oculos. Nulla contractura musculorum colli at superiorum extremitatum, et rigor in genu articulationibus, quae paucis minutis post tol-

litur. Clysma statim refluxit. Post infusionem quietus somnus, pulsus rursum mitigatus.

Vesperi aegrota animi impos oculis semiapertis iacebat; respiratio stertorosa. Quartum iam pulverem sumserat neque alvus ducebatur. Semper trismus viget brevibus intervallis. Cutis temperatura infra normam. Pulsus parvus et frequens 132, respiratio inaequalis variata inter 28 et 36. Urina cathetere emissa parum fusco colore, non spumea est; chloridea evanescunt, phosphata modica, sulfata et bilifaeinum deminuta, multum urofaeini; alvus nondum ducta. Paucis demum horis ante mortem, quae media nocte incidit, mihi contigit, ut volumen hepatis decrevisse demonstrarem, qua re diagnosis certa facta est.

## SECTIO.

Meninges et cerebrum parum sanguinis habent, mollia et humida; in cerebri cavis paucae drachmae liquidi seri; septum diffluens, ad cranii basin amplius una uncia seri subflavi, mucosa tracheae membrana ecchymosibus tecta; pulmones passim cellulose accreverunt; pleura et pericardium ecchymosibus investita; substantia pulmonum satis sanguinis opulenta, in posticis partibus oedematosa. Cor laxum, cum parva fluidi sanguinis et coaguli copia. Hepar tertia vel dimidia voluminis parte minutum, forma depressa, plana, placentae simili. Verticalis maxime diametrus decreverat; consistentia dissoluta, marcida, facilis ad dirumpendum. Dissectionis facies nitida, subfusca, fluidum lutulento rubore mittens, quod e sanguine et granulis adiposis constat. Praeterea nec superficies nec dissectio granulosam texturam offert. Hepatis cellulae funditus evanuerunt nec microscopio quid-

quam nisi massam molecularem e guttulis adiposis paucisque sanguinis corpusculis constantem dignoscere possis. Quodsi hepatis partem elaves, in ea coagulans stratum adiposum nascitur et ipsum hepar impressiones et foveas inaequales spongiae maritimae instar exhibet. Vesica fellea normali fere magnitudine parum muci subviridi colore infecti continet; mucosa eius membrana rubefacta est. Ductus biliferi nihil valde mutatum offerunt. Hepatis vasa permeabilia, normalia.

Gravissimum igitur signum et proprium acutae flavae atrophiae perfecta cellularum hepatis destructio et residuum adipis suppeditavit.

# VITA.

Natus sum ego, Ernestus Ferdinandus Arthurus Aemilius Lohsse, Leucopetrae, urbe provinciae Saxoniae, a. d. III Kalendas Martias anni MDCCCXXIX, patre Augusto Theophilo medico militari, matre Rosalia e gente Spormann. Fidei evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus sum ab Eydam nunc defuncto, tum scholae civilis Leucopetrensis rectore, qui insigni opera et studio me ita instituit, ut deinceps almam scholam Portensem adire possem. In qua cum ex verno tempore anni h. s. XLII humanitatis literis operam dedissem, anno h. s. XLVII gymnasium Gedanense petivi, ut studia illa inchoata absolverem, tum verno tempore anni MDCCCL in academia in medicae artis studia incumbere coepi.

Quinquennium in academiis commoratus has scholas frequentavi:

Gottingae:

Osteologiam apud Ill. Langenbeck; botanicen ap. Ill. Grisebach.

Lipsiae:

Angiologiam et splanchnologiam ap. Ill. E. H. Weber, physiologiam et evolutionis historiam eodem docente, neuro-

logiam et myologiam ap. Ill. Ed. Weber, — qui duo viri doctissimi artem cadavera rite dissecandi et praeparandi mihi tradiderunt — logicam ap. Ill. Hermann, psychologiam ap. Ill. Lindemann, botanicen ap. Ill. Petermann, zoologiam ap. Ill. Poeppig, mineralogiam ap. Ill. Schwaegrichen, physicen ap. Ill. Hankel, chemiam ap. Ill. Erdmann, anatomiam pathologicam ap. Ill. Bock, chirurgiam ap. Ill. Guenther, clinicum chirurgicum ap. Ill. Guenther, clinicum medicum ap. Ill. Wunderlich, clinicum ophthalmiatricum ap. Ill. Ruete, ophthalmologiam ap. Ill. Ruete, ophthalmologiam ap. Clar. Coccius, operationes ophthalmiatricas ap. Ill. Ruete, akiurgiam ap. Ill. Guenther, cursum practicum operationum ap. Ill. Guenther, policlinicum et operationes obstetricias ap. Ill. Germann, materiam medicam ap. Ill. Clarus.

Herbipoli:

Pathologiam et therapiam generalem ap. Ill. Virchow, artem obstetriciam ap. Ill. Scanzoni, clinicum medicum ap. Ill. a Marcus, clinicum chirurgicum ap. Ill. a Textor, clinicum obstetricium ap. Ill. Scanzoni, diagnosticen physicalem ap. clar. Friedreich, doctrinam de fasciis ap. clar. Schneider, de cutis morbis ap. clar. Biermer, pathologiam et therapiam specialem apud Ill. a Marcus.

Quibus omnibus viris optime de me meritis summam habeo et semper habebo gratiam.

Iam vero cum tentamine philosophico tum examine rigoroso rite superatis spero fore ut hac dissertatione cum adiunctis thesibus defensa amplissimi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

# THESES.

I.

Pus nequit resorberi.

II.

Quinto iam die post infectionem syphiliticam generalis curatio instituenda est.

III.

In omnibus affectionibus, quas auctores hysteriae nomine appellant, uterus est explorandus.

IV.

Quae pyaemia vulgo dicitur, eam septicaemiam nominari oportet.